



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 41. Joannis Pauli ab Ecclesia Cardinalis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

lesimo quingentesimo septuagesimo quinto Joanni de Rouen tum Rectori, ac postea Thomæ Scuriono ejus successori proponitur: verum ambo hanc Societatem aggregari constanter renuebant, atque omnia, quæ præfati Patres postmodum impendebant, molimina successu frustrabantur, quamvis enim hi apud Reges, & Principes plurimum gratia valerent, nihilominus Universitas pertinaciter suæ insisteret sententiæ, quin Jesuitæ unquam impetrare possent, ut tanquam Universitatis membra agnoscerentur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1575.

§. XLI.

*Joannis Pauli ab Ecclesia Cardinalis obitus.*

Ex Cardinalibus, qui hoc anno vivis eripiebantur, primus erat Joannes Paulus ab Ecclesia ex nobili genere Tor-  
Ciacon. in vita Pont. 3. p. 1034. Gabut. in vit. Pii V. Aubery vis des Card.  
 tonæ anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo primo natus. Hic juvenis adhuc parente suo orbatus studiorum causa Parisios, & Papiam contendit, ubi Doctoratus laurea decoratus in canonica, & civili Jurisprudencia tantos fecerat progressus, ut omnes Caussidicos tum Mediolani celeberrimos longe antecelleret: postea in Hispaniam profectus, Terouanæ Ducem comitabatur, ac pro illius causa  
 T 5 coram

**Sæcul. XVI.** coram Philippo II. cum tanta soliditate,  
**A. C. 1575.** atque eloquentia perorabat, ut Regis,  
 totiusque ejus Senatus benevolentiam  
 sibi conciliaret, qua etiam ratione sibi  
 Mediolanensis Senatoris dignitatem pro-  
 curabat, postea vero Mediolano evoca-  
 tus Papiensis Præfectus nominabatur,  
 antea tamen Romam ad Pium V. a Me-  
 diolanensi Senatu ablegatus diſidia in-  
 ter Divum Carolum Borromæum, &  
 Mediolanenses circa jurisdictionem Ec-  
 clesiasticam exorta componere jubeba-  
 tur, ubi hoc negotium cum tanta sum-  
 mi Pontificis satisfactione explebat, ut  
 ab eodem Papa Romæ retentus primo  
 Protonotarius Apostolicus, dein Abbas  
 Sancti Petri de Mulagio Vercellensis Diæ-  
 cesis, & demum Signaturæ, ut vocant,  
 justitiæ Præfectus crearetur. Tandem  
 cum Pius V. Mense Martio anno post  
 Christum natum millesimo quingentesi-  
 mo sexagesimo octavo Cardinalium Col-  
 legium auget, ipse quoque Purpura-  
 torum albo inscribatur, qua dignita-  
 te clarus interfuit comitiis sacris, in  
 quibus Gregorius XIII. in Papam elige-  
 batur, quo etiam regnante Mense Ja-  
 nuario Anno Salvatoris nostri millesi-  
 mo quingentesimo septuagesimo quinto  
 nonnisi quinquaginta quinque annos na-  
 tus obiit, corpusque ejus in tituli sui Ec-  
 clesia terræ mandatum est.

§. XLII.